

www.e-rara.ch

**Omnium operum divi Eusebii Hieronymi Stridonensis Tomus
primus[-nonus]**

Hieronymus, Sophronius Eusebius

Apud inclytam Basileam, [1516]

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-150989>

[Hieronymus Vitali]

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

C filij, sed æmulæ odio, & suum mortuum per legis cerimonias in sinum ecclesiæ supposuit. Longum est si uelim singula percurrere, quomodo per apostolum Paulum, & ecclesiasticos uiros intellexit ecclesia, non esse suum filium, qui tenebatur in lege: & in luce cognouerit, quæ in tenebris non uidebat. Inde iurgium ortum est præsentē rege, altera dicente: filius tuus mortuus est, meus autē uiuit: altera respondente, mentiris, filius quippe meus uiuit, & filius tuus mortuus est: atq; in hunc modum, contendebant coram rege. Tūc rex Solomon (qui manifeste saluator accipit, secundū psalmū septuagesimū primū, qui titulo Solomonis inscribitur: ubi nulla dubitatio est: quin cuncta quæ dicantur, nō Solomoni mortuo, sed Christi cōueniant maiestati) simulat ignorantiam, & humanos pro dispensatione carnis mentitur affectus: sicut in alio loco: Vbi posuisti Laçarum? Et ad mulierem fluentem sanguine, quis me tetigit? Gladiū postulat, de quo dixerat: Nolite putare quod uenerim pacem mittere super terram: non ueni pacem mittere, sed gladium. Veni em̄ diuidere hominem contra patrem suum, & filiam contra matrem suā, & nūrum contra socrum suam: & inimici hominis domestici eius: & tentat naturā naturæ dominus, uultq; secundum utriusq; uoluntatem, uiuentem filium in legem gratiamq; diuidere: nō quod probet, sed quod ad arguendum calumniam synagogæ, hoc uelle se dicat. Illa quæ nolebat ecclesiæ filium in gratia uiuere, nec per baptismum liberari, libenter habet diuidi puerum: non ut possideat, sed ut interficiat. Ecclesia quæ scit suum esse, libenter concedit æmulæ, dum uiuat saltem apud aduersariā: ne inter legē diuīsum & gratiā, saluatoris mucrone feriat. Vnde dicit Apostolus: Ecce ego Paulus dico uobis, quod si legē obseruatis, Christus uobis nihil prodest. Hæc sub allegoriæ nubilo dicta sunt. Cæterum optime nouit prudentia tua, non easdem esse regulas in Tropologiæ umbris, quæ in historiæ ueritate. Quod sicubi pedem offendimus, & sapiēti lectori friuolū uideat esse quod scripsimus, culpam in authorē referat. Nos em̄ & hæc ipsa in lectulo decumbentes, longaq; ægrotatione confecti, uix notario celeriter scribenda dictauimus: non ut implemus materiam, sed ne tibi in principio amicitiarum aliquid imperanti, uideremur negare. Ora nobis a domino sospitatem, ut post duodecim menses, quibus iugi languore confectus sum, possim aliquid dignum uestre scribere uoluntati: & ignosce si scatens oratio, cursu non solito fluat. Non em̄ eodem lepore dictamus quo scribimus: quia in altero sæpe stilum uertimus, iterum quæ legi digna sint scripturi: in altero quicquid in buccam uenerit celeri sermone conuoluimus. Caniniū libenter uidi, qui narrare tibi poterit q̄ difficile & periculosum manus dexteræ usq; in præsentem diem quo ista dictaui uulnus sustinuerim.

ARGVMENTVM EPISTOLAE SEQVENTIS.

Ex annorum supputatione, docet Solomonem & Achaz ante pubertatis annos genuisse liberos. Verum ab huiusmodi quæstionibus anxie tractandis dehortatur, quod in littera nihil sit fructus, in allegoria plurimum.

SCHOLIUM

Cum in benedictionibus.) *ευλογίας* Paulus beneficiola uocat, ultro missa amicis, siue a colligendo, siue qd bene ominatis uerbis, eiusmodi donare oporteat. Linguae tenere uernacula.) Id est Hebræa, quæ propria est eius historiæ, & ad quam summū in difficultatibus est suffugium. Lustralibus hostijs.) Lustrare expiare est: unde hostiæ lustrales quibus expiabatur portentum, numē aliquod offensum indicās.

Non tam studiosi q̄ ociosi.) Si ociosum est in his torquere simul ac torqueri quæstionibus, quæ tamen ad historiæ sacre ueritatem pertinent, quid sentiendum de nōnullis quodlibeticis cōtrouersijs, quæ nec finem habent ullum, nec usum?

HIERONYMVS VITALI



Enon nauderus, per quæ mihi dicis tuæ sanctitatis litteras esse transmissas: unam tantum & breuem epistolam beati papæ Damasi amabilis reddidit, solita munuscula continentem. Satisq; miror quid causæ fuerit: ut cū in benedictionibus & tuis & illius perferendis fidelis extiterit, in retenta epistola negligens cōprobetur. Neq; em̄ te falli arbitror discipulum ueritatis, nisi forte græco homini latinus sermo inter chartulas oberrauit. Itaq; ad secundam rescribo epistolam, quā mihi sanctus filius meus Heraclius diaconus reddidit, in qua inter cætera deprecari: ut exponam tibi causas, quare Solomon & Achaz undecim annorū, filios genuisse dicantur. Si em̄ duodecimo āno Solomon sup̄ Israel accepit

A accepit imperium, & quadraginta annis regnavit in Hierusalē: filiusq; eius Roboam cum quadagesimum annū ageret ætatis, patri successit in regnum: perspicuum est undecim ānorū fuisse Solomonem, siue decem, quia decem menses a cōceptu usq; ad partum sibi mater uendicat. Rursum Achaz filius Ioathan cum uiginti esset annorū, rex constitutus est super duas tribus, id est Iudam & Beniamin, regnavitq; annis sedecim: quo mortuo, Ezechias cum uicesimū & quintum annum ageret ætatis, patri successit in regnum. Ex quo intelligitur Achaz quoq; undecimo siue decimo anno, Ezechiam filium procreasse. Et si quidem in historijs aliter haberent Septuaginta interpretes, aliter Hebraica ueritas: confugere poteramus ad solita præsidia: & arcem linguæ tenere uernaculæ: nunc uero cū & ipsum authenticum, & cæteri interpretes pari authoritate consentiant, non in scriptura, sed in sensu est difficultas. Quis em̄ crederet mortaliū: ut undecim annorum puer generaret filium? Multa & alia dicuntur in scripturis, quæ uidentur incredibilia: & tamen uera sunt. Neq; em̄ ualet natura contra naturā dominū: aut potest uas figulo dicere: q̄re me ita fecisti, aut ita? Licet qd̄ p̄ miraculo signo atq; portento fit: legē natura facere nō possit. Num q̄a nostra ætate duplex Lyddæ nat⁹ est homo, duorū capitū, quatuor manuū, uno uentre & duobus pedib⁹, oēs hoīes ita nasci necesse est? Legamus ueteres historias, & maxime Græcas ac latinas, & inueniemus lustralib⁹ hostijs, secūdū errorē ueterū portentuosas soboles, tā in hoībus, q̄ in armentis ac pecudibus expiatis. Audiui, domino teste non mentior, quādā muliercula cum expositū nutrieret infantem, & instillaret cibos, ac nutricis officio fungeretur, cubaretq; cum ea paruulus, qui usq; ad decimū iam peruenerat annum: accidit, ut plus q̄ pudicitia patitur, se mero ingurgitaret: accensaq; libidine, obscenis motibus ad coitum duceret infantem. Prima ebrietas, alterius noctis & cæterarum deinceps fecit consuetudinem. Nec dum duo menses fuerant euoluti: & ecce scēminæ uterus intumuit. Quid plura? dispensatione dei factum est: ut quæ contra naturam, simplicitate paruuli in contemptum dei abutebatur, a naturā domino proderetur: impleto sermone quo dicitur: Nihil occultum quod non reueletur. Simulq; consideremus, quod occulte scriptura & Solomonem & Achaz, uoluptatis & impietatis accuset. Vterq; em̄ cum esset de stirpe Dauid, recessit a domino: & alter intantum secutus est libidinem: ut septuaginta habuerit uxores, & trecentas cōcubinas & adolescentulas: & scorta passim, quorū nō erat numerus: neglectoq; deo patrum suorū, extruxerit idola gentium plurimarum, & fuerit, nō ut prius iedidia: id est amabilis dñi, sed amator mulierum: Alter miserit ad regem Assyriorum, auxilium postulans, & in tempore angustiae suæ, auxerit contemptum in dominū: imolaueritq; dñs Damasci uictimas percussoribus suis, & in om̄ibus urbibus Iuda, extruxerit aras ad cremandum thus, atq; ad iracundiam prouocauerit dñm deum patrum suorū: intantū ut direptis uasis domus dñi atq; cōfractis, clauserit ianuas tēpli dei, & fecerit sibi altaria in uniuersis angulis Hierusalē, ambulaueritq; in uīs regū Israel, & statuas fuderit Baalim, & adoleuerit incensum in ualle filiorum Ennon, & lustrauerit filios suos in igne, iuxta ritum gentium: quas interfecit dominus in aduentu filiorum Israel. Ex quo perspicuum est, homines a parua ætate libidini deditos, immatura eorū sobole demonstrari: quod etiam eo tempore peccare cœperint, quo natura non patitur. Ad summā illud dici potest: quod in regno Dauid Solomon cū duodecim esset annorum, solum patris obtinuerit: & postea (quia scriptura reliquit incertum) uixerit Dauid regnante iam filio aliquot annos, qui sibi & nō Solomoni imputetur: mortuo autē patre post filius regnauerit ānis quadraginta, quos sine parente regnavit: atq; ita & initium regni Solomonis & tempus, quo solus ipse regnavit, ab historia demonstratum. Nec tamen omnes annos uitæ illius quinquaginta tantum & duorum annorum circulis contineri. Sin autem dubitas, quod regnantibus filijs patribusq; uiuentibus non filijs tempus regni eorum, sed patribus imputetur: lege ipsum Regnorū uolumen, & inuenies, quod Ozias rex Iuda postq; lepra percussus est, habitauit in domo separata: & filius eius Ioathan imperium rexerit, iudicaueritq; populum terræ, usq; ad diem mortis patris sui: & tamē post mortem illius cum uiginti quinque esset annorum, sedecim annis regnasse dicatur: quos solus ipse regnauerit. Quod de Solomone intelleximus, & de Achaz similiter intelligendum est, qui Ioathæ filius, Ezechiae pater fuerit. Audiui quendam Hebræum huiusmodi narrare fabulā iuxta prophetiam Esaia, quā inter de-